



**Commentariorvm, Ac Dispvationvm In Primam Partem
Sancti Thomæ Tomvs ...**

Complectens ad viginti sex Quæstiones priores, centum & septem
Disputationes in Capita diuisas

Vázquez, Gabriel

Antverpiæ, 1621

Dispvt. LXV. An aliqua ratio certitudinis scientiæ, qua Deus nouit futura,
assignari possit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80983](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80983)

32 petitio principij, esset enim, ac si diceret, ideo certo cognoscit, quia ea habet obiectivae praesentia, cumque habere obiectivae praesentia nihil aliud sit, quam cognoscere, penitus esset, ac dicere, ideo cognoscuntur, quia cognoscuntur. Hac ratione, quam ex hoc loco deducit *Ferrariensis*. i. *contra gent.* cap. 66. sibi habet persulfum, opinionem illam esse S. Thom. Deinde est alterum testimonium 1. *con-* *tra gent.* cap. 66. in 5. ratione, ubi ait, aeterno nihil posse coexistere ex parte, sed necesse esse, toti coexistere: quocirca & divinum intellectum intueri omnia futura, quasi praesentia; per praesentiam autem obiectivam non dicitur res coexistere Deo, ergo ibi non loquitur S. Thom. de obiectiva, sed de reali praesentia, quae res vere, & realiter Deo existant: si quidem ex coexistentia reali, quae res ab aeterno praesentes sunt Deo, inferat, eas à Deo cognosci. Eodem pacto loqui videtur in 1. d. 38. art. 5. & q. 2. de veritate art. 12.

Ferrariensis
Alm. pro-
du.
Art. quorum
Thomistarum
non veris
sententia.
33
Dea
Hieronymus
Silvest.
Egidius.
Verum antiqui, & non minus graves Thomistarum modo intellexerunt sententiam S. Thom. atque meo quidem iudicio multo verius, & magis secundum mentem illius. Nam quam autem S. Thom. praesentiam illam realem futurorum in aeternitate docuisse, senserunt *Archiepiscopus Hispaniae*. *Dezaim* 1. d. 38. q. 1. art. 2. *Hieronymus* eadem *disput.* & *Silvester* in *defensorio doctrinae S. Thomae*: imo *Egidius* & ipse quondam Sancti Thomae discipulus, & auditor in suo castigatorio adversus corruptorem Thomae in observationibus in hunc articulum, vindicare contendit Doctorem Sanctum ab hac sententia, tanquam à calumnia, quam quidam Parisienses Doctores suo tempore S. Thomae tribuebant, & ob eam erroris ipsum infumabant. Docent vero Thomistae citati S. Thom. ubique loqui de praesentia obiectiva, non de reali, & de praesentia rerum in ipso Deo, non extra: ita ut nihil extra Deum ab aeterno ei coexistat: sed in ipso solum res ab aeterno esse dicantur. Id quod de existentia obiectiva intelligendam est. Id autem manifestum fiet, si ostenderimus, in hoc articulo nihil de praesentia illa reali haberi.

Expositio
priori loci
S. Thom.
& aliorum.
34
Scientia fa-
ctorum futu-
rae non fac-
itativa.
Tria igitur docet in hoc a. 13. Primum est Deum scire omnia futura: id autem probat, non ex eo, quod sunt praesentia, ut quidam falso arbitrantur: sed inde, quia comprehendit omnia, quae sunt in sua, & creaturae potentia. Quare cum omnia futura sint in sua, & creaturae potentia, omnia necessario cognoscit. Secundum est: futura à Deo cognosci in seipsis, non in causis. Hoc etiam non probat ex praesentia reali, sed quia causae sunt ex se indifferentes ad verum partem, quocirca in ipsis nihil esse potest: unde cognoscantur certo futura: ergo cum Deus ea certo cognoscit, non in causis, sed in seipsis ea scire debet.

Tertio docet Deum intueri omnia haec futura ab aeterno sine successione. Probat vero quia eius aeternitas est tota simul: quare & eius etiam cognitio, cuius duratio est ipsa aeternitas, erit tota simul. Hinc inferat, intellectum Dei simul ab aeterno ferri in res omnes futuras, ac si praesentes essent, nealiqua in scientia illius successio sit. Ex quo etiam colligit, omnia, quae sunt in tempore futura, esse Deo praesentia non solum in rationibus aeternis (ut quidam dicunt) hoc est, in essentia sua, ut habet rationem speciei intelligibilis, sed quia eius intuitus, & cognitio actualis fertur in res omnes futuras: ubi de obiectiva praesentia aperte loqui-

tur. Ideo enim dicuntur à S. Thoma res Deo praesentes, quia intuitus eius fertur in illas. Quod si de reali illa praesentia Caietani loqueretur Sanctus Doctor, dicere debuisset contra, ideo intuitum Dei in res ferri: quia sunt ei praesentes. His autem verbis non vult reddere rationem, ob quam à Deo cognoscantur: sed vult explicare modum, quo Deus omnia sibi praesentia simul habeat, quo sensu etiam loquitur supra art. 9. Deinde subiungit haec verba: *Unde manifestum est, quod contingentia & infallibiliter à Deo cognoscuntur, in quantum subduntur divino conspectui, secundum suam praesentialitatem, & tamen sunt futura contingentia suis causis comparata.* Quibus verbis etiam non reddit rationem, quare cognoscantur futura à Deo: quia scilicet subduntur conspectui ipsius (de hac enim praesentia plane loquitur) haec namque esset nugatoria quaedam petitio principij: sed explicat modum, quo cognitio Dei est infallibilis, quia scilicet fertur in res ipsas, quas suo conspectui habet praesentes, & nihilominus futura cum suis causis collata, contingentia, & indifferentia sunt. Haec sufficiant in expositionem articuli, ex quibus cetera testimonia Doctoris Sancti explicari facile possunt, & rationi, quam *Ferrariensis* adduxerat, responderi.

DISPUTATIO LXV.

An aliqua ratio certitudinis scientiae, quae Deus novit futura, assignari possit.

Variae Scholasticorum opiniones. cap. 1.
Ex decreto voluntatis Dei sufficiens causa, remota tamen, certitudinis scientiae assignari potest, cap. 2.
Solutio obiectionum contra hanc sententiam. c. 3.
Ex veritate futurorum, & infinitate intellectus, Dei, optime inferitur certitudo scientiae ipsius, cap. 4.

CAP. I.

Variae Scholasticorum opiniones.

Exposita iam ratione communi quorundam Thomistarum, qui ipsi explicare, & defendere nituntur certitudinem scientiae Dei, quia videlicet res Deo non sunt futurae, sed vere praesentes praesentia reali; alia nobis ratio inuestiganda est, parati enim esse debemus, ad rationem reddendam eius, quae in nobis est fidei, in ijs praesertim rebus, quae non supernaturali revelatione solum, sed naturali, & philosophica ratiocinatione etiam indagare possumus: in ea tamen ratione reddenda variant reliqui Scholastici quorum placita more solito in hoc cap. recensebimus.

Primum Nominales, *Okam* in 1. d. 38. q. 2. non longe à fine, *Gab. q. 1. a. 2. post secundam conclusionem*, *Greg. tentia Nominalium.* dicunt, non posse certam aliquam & propriam rationem huius certitudinis scientiae Dei in hac vita assignari, sed hoc dicunt ad perfectionem, & infinitatem scientiae Dei spectare, ut futura etiam contingentia, & indifferentia ad verum, non minus certo, & determinate cognoscat, quam ea quae naturali necessitate eveniunt. Cum his videtur facere *Marsilius* in 1. q. 40. ante 1. art. quaest. tamen rationem, quam infra ex S. Thoma referemus, ipse quoque eo loco assignaverit. Verum, ut initio capitis dixi, enitendum nobis est rationem huius veritatis inuestigare, siquidem non sola revelatione id nobis constare potest.

Inter eos igitur, qui rem hanc ratione explicare, & enotare conantur, occurrunt in primis *S. Thom.*

Secunda
S. Thom. &
eius ratio.
Rigid.
Alexand.

346

QVÆST. XIV.

S. Thom. in hoc art. 13. (qui tamen attente legendus est) & Aegidius in 1. d. 38. q. vii. cum quibus sentire videtur Alex. 1. p. q. 23. m. 4. art. 4. qui hac ratione probant scientiam quam Deus de futuris habet, non minus certam esse, quam de presentibus. Si Deus cognoscit certo, quæ presentia sunt: ergo ab æterno etiam certo cognovit. Cum enim scientia Dei sit æterna, eiusque duratio sit ipsa æternitas, sicut est essentia Dei, sequitur, eodem modo esse Deo nota futura, atque presentia: quia si alio modo cognosceret presentia, hoc ipso, quod presentia sunt eorum scientia in tempore inciperet: ac proinde æterna non esset: ergo cum debeat esse æterna, sicut est sua substantia: sequitur scientiam, quam eadem est scientia futurorum, atque presentium, & ita eodem modo ab æterno certa. Nam quæ est rerum presentium, non tantum in Deo, verum etiam in Angelis certissima est, ut contra illam deceptio euenire non possit.

Quid demonstrat ratio
S. Thom.

Hæc ratio S. Thom. euidenter demonstrat, futura ab æterno à Deo cognosci non minus certo, quam presentia: ea tamen est communis quedam ratio, ab absurdo deducta; nullus enim negabit maximam futuram Deo imperfectionem, si in tempore inciperet res cognoscere. Deinde ita Deo tribuere scientiam, ut in eum deceptio cadere possit, qui summe verus, & verax est, manifeste est absurdum, quibus positus optime infertur, quod proposuimus, sed ut dixi, ea est communis quedam ratio. Quare alia magis peculiaris, & propria adhuc desideratur, quam inuestigare contendimus.

Tertia sententia Bonauent.

Bonauent. in 1. d. 39. art. 2. q. 3. quem videtur sequi Durand. eadem d. q. 3. num. 8. tamen in sententiam Scoti paulo post referendam inclinare quoque videatur, aliter tamen ideo, certo, & determinate à Deo cognosci futura, quia in se habet omnium rerum ideas, & rationes: ac proinde futura omnia in essentia sua ad viuum repræsentantur: potest igitur omnia certo cognoscere, ac si iam sibi essent presentia.

Refutatur ab Scotio.

Huius sententia meminit Scotus in 1. d. 39. q. 1. §. Contraventiones, & eam impugnare duabus rationibus, quarum prior est. Idea non repræsentant aliud, quam terminos compositionis, & enunciationis, non ipsam compositionem, nisi illa suapte natura ex terminis cognoscatur, quales sunt enunciationes necessariæ; at vero huiusmodi non est enunciatio rei futura, quæ libere futura est: ergo illa, quatenus futura, non repræsentatur in idea: perinde enim est, rem futuram in idea repræsentari, atque hanc propositionem repræsentari, *Res hæc, aut illa futura est*: si ergo compositio, seu enunciatio, quæ necessaria non est, non repræsentatur in idea, sed solum extrema illius, fit, ut res futura, quatenus futura, in ea etiam minime repræsentetur.

Secunda ratio.

Id ipsum magis declarat, & confirmat posterior ratio eiusdem Scoti, quæ talis est. Idea in Deo præcedit omnem actum voluntatis ipsius, ut ex ijs quæ dicemus, disp. 72. patebit, ergo repræsentat naturaliter id, cuius est idea. Quocirca idea etiam sunt rerum possibilem, quæ necessario in essentia diuina repræsentantur: idea igitur, ut idea est, non repræsentat futura, quatenus futura sunt. Quod si aliquis pro Bonau. respondeat, per ideas, vel rationes existentes in mente Dei, non intelligi eas, quæ præcedunt omnem actum voluntatis, ut explica-

Responsio occurrunt.

ARTIC. XIII.

tum est, & sunt principium producendi creaturas, pertineatque ad scientiam practicae eius; sed simplicem repræsentationem in essentia Dei, quæ pertinet ad scientiam speculatiuam, certe non redditur sufficiens ratio certitudinis scientiæ, sed difficultas propolita eodem redit. Nam si repræsentatio illa futurorum ponatur in essentia diuina per modum speciei impressæ, & in actu primo ad intelligendum, vel tanquam in specie expressa in actu secundo, huius adhuc desideratur ratio: quare scilicet futura cum sint indifferentia, & in causa non determinata; in essentia diuina in actu secundo, vel etiam in actu primo determinate repræsententur. Manet igitur semper eadem questio, præterim si de repræsentatione in actu secundo, & tanquam in specie expressa sermo sit. Nam idem omnino est repræsentari in actu secundo, aut in specie expressa, atque cognosci, ut tota q. 12. sapius inculcatum est.

CAPVT II.

Ex decreto voluntatis Dei sufficiens causa, remota tamen, certitudinis scientiæ assignari potest.

DVplex, meo iudicio, ratio reddi potest certitudinis scientiæ Dei, prior quidem sufficiens est, si remota, de qua in hoc cap. dicemus: posterior vero est propria, & proxima, atque ex principijs naturalibus euidenter deducta: de qua cap. 4. breuiter differemus.

Prior igitur ratio, quæ probatur, atque declaratur certitudo scientiæ Dei, defumitur ex decreto voluntatis ipsius, quæ omnia futura in tempore producenda definit. Hac ratione vtuntur Scotus in 1. d. 39. q. 1. §. Contrarij illud arguitur, & S. viso de contin. Richard. d. 38. art. 1. q. 5. eamque vnicam esse putat Durand. q. 1. num. 9. nam cætera omnia, quæ in ea quaestione assignauit, ex quibus colligeretur certitudo scientiæ Dei, non satis eam probant, ut facile quisque videre potest. Ex recentioribus etiam Thomistis, qui putant, ex presentia reali in æternitate certo sciri à Deo futura, sunt nonnulli, qui etiam dicunt, non ex sola ea presentia, sed simul ex decreto certo cognosci.

Vt hanc sententiam probemus, & ex decreto voluntatis Dei optima ratione deducamus certitudinem scientiæ ipsius, præmittendum est, quamlibet rem ordine quodam prius esse futuram, quæ Deus eam intelligat esse futuram, ut disp. 68. c. 6. ostendimus. Deinde nullam rem esse futuram sine peculiari aliqua voluntate, & definitione Dei circa illam: id quod mihi adeo certum est, ut existimem nullo modo negari posse. Sunt quidem recentiores nonnulli Theologi, qui non valentes alio modo explicare, quomodo Deus provideat omnibus necessaria auxilia ad bene operandum, & merendum vitam æternam, si dicant necessarium esse, Deum omnia nostra opera, secundum quod bona sunt, sigillatim decreuisse; aut hoc pacto non valentes conciliare Dei voluntatem cum libertate nostra, affirmant, Deum non definisse omnia sigillatim, nec se solo, nec cum causa secunda ad concurrentem cum ea: sed generali quadam ratione statuisse apud se, cum omni causa, & libero arbitrio, etiam præuenio vocatione sufficienti concurrere, & ad hoc paratum esse. Quare nec sola nostra consideratione conceduntur à Deo plura voluntatis eius decreta circa opera nostra, neque

Primam fundam. tam.

Quorundam recentiorum placitum.

7.

Nullo res est neque vnum, quod in singula distincta feratur, sed vnum in vniuersum: ac proinde dicunt, ex decreto Dei, quod vniuersale sit, & indifferens etiam, futura contingentia, & opera nostri arbitrij certo cognosci non posse.

Ceterum hoc esse falsum, & ex diuino decreto optime colligi posse certitudinem scientiæ Dei, iam demonstro. Primum quidem, aut Dei voluntas distincte & sigillatim circa singula opera nostra versatur, non minus quam scientia: aut solum est decretum voluntatis Dei circa futura in vniuersum, & confusæ; ac si intra se aliquis non attendens ad singula particulatim, nec illa sigillatim volens, statueret generatim, omnes causas adiungere, quæ suo indigerent auxilio: si hoc posteriori modo Deus tantum opera nostra decreuit, sequitur solum confusæ, & indistincte ab æterno voluisse facere ea, quæ in tempore facturus erat: quod si verum est, sit etiam, ut quando in tempore concurrat, non velit tunc Deus determinate, & sigillatim ad illud opus concurrere, sed confusæ tantum, & vniuersali illa voluntate operari. Quare dicere pollemus contra hos id, quod Hieron. ait in dialogo 1. contra Pelagianos asserentes, non esse necessarium aliud auxilium gratiæ Dei ad singula opera, præter gratiam creationis, & liberi arbitrij. Dormitat ergo Deus in operibus nostris semel data arbitrij libertate: nos vero ad eum possumus id, quod nostro instituto conducere videtur. Et postquam semel apud seipsum cum omnibus causis in vniuersum concurrere decreuit, de reliquo nihil curat singulatim. Id quod diuinæ providentiæ multum derogat: sic enim incidimus in sententiam Arist. qui lib. de celo ad Alexand. putauit, Deum non omnibus rebus proxime, & sigillatim providere, sed per vniuersales causas omnia gubernare: de quo in disp. 87. dicemus. Quod si in tempore, quando concurrat cum hac causa, non minus determinate, & distincte cum illa velit concurrere quam si cum illa solum operaturus esset, ut ratio ipsa demonstrat: sequitur habuisse ab æterno hanc etiam voluntatem distincte & sigillatim circa hanc operationem, & singulas alias: aut voluntatem singularem dei circa illam operationem in tempore incepisse, quod est absurdum.

Hiarym. 8 *Art.* Superest igitur, ut dicamus, decretum & definitionem voluntatis Dei distincte, & sigillatim ab æterno fuisse circa singula, quæ in tempore fuerat operaturus, aut ipsi solus, aut cum secunda causa concurrens: siue secundum nostram rationem distinguamus illud decretum in plura, siue dicamus esse vnicum, de quo non est multum curandum: certum enim est apud omnes Deum omnia, & singula voluisse vnicò simplicissimo actu suæ voluntatis: est enim ipsius voluntas, & voluntatis operationem, quod sua essentia simplex & indiuidua: an vero nostro modo intelligendi sint plures in Deo voluntatis operationes, quibus singula velit ex hoc quod eius voluntas in singula distincte, & sigillatim feratur, ego quidem censo distingui posse, & debere, sicut communiter ex diuersitate obiectorum distingui solet. Si tamen aliquis nimium contenderet, esse etiam nostro modo intelligendi vnicum actum simplicissimum voluntatis, ego non curabo: nostro enim instituto satis est, plurimumque interest, si aduersarij concedant decretum Dei, quo ab æterno definiunt, & voluit cum omnibus causis etiam liberis concurrere, distincte, & sigillatim, non confusum, & in vniuersum

in singula futura ferri: ut monstratum est: de qua re iterum disp. 87. cap. 2. tractabitur. Hoc autem supposito facile ostenditur, quo pacto cum indifferencia, & libertate causarum circa futura sit summa Dei certitudo, & ut Scholastici vocant, infallibilitas.

Deinde supponimus, decretum hoc voluntatis Dei ordine quodam causæ prius esse, quam res sit futura: imo ex eo aliquid esse futurum, quia Deus voluit: nam res futura non potest intelligi adhuc futura, nisi ex suis causis: sed inter causas est decretum Dei, ut explicatum est, nihil enim sine voluntate Dei sit: ergo antequam res futura sit, ordine quodam causæ Deus voluit, esse futuram: præcedit igitur decretum Dei rem futuram, prout futuram, siue illud dicamus etiam præcedere concursum, & determinationem secundæ causæ liberæ, siue eam solum comitari, siue posterius esse; quocunque enim modo cum arbitrio comparatur, cum re ipsa futura tanquam aliquid prius confertur.

Ex hoc decreto quidam hoc modo inferunt, certitudinem scientiæ Dei: quia cum decretum deficere, aut falli non possit, nec contra illud aliquid fieri, aut euenire; sit ut Deus cognoscens illud, inde recte etiam scire possit futura, & intueri: quia nimirum videt decretum, ex quo infallibiliter sequitur. Si autem citati in hoc capite certitudinem scientiæ Dei ex decreto ipsius deducere videntur: imo aliqui contendunt, ita ex solo decreto colligi posse, ut absque præuisione concursus secundæ causæ inferatur. Verum ego censo neutro modo ex decreto voluntatis Dei certitudinem scientiæ ipsius recte colligi. Primum quidem ex eo, quod Deus in se suum decretum videat, non cognoscere futura tanquam ex causa, probatur: quoniam licet essentia Dei à nobis intelligatur per modum decreti, & voluntatis, tanquam causa futurorum, tamen, ut dicebamus disp. 48. cap. 4. & probabitur infra disp. 80. decretum liberum diuinæ voluntatis nihil aliud super nudam essentiam addit, quam respectum rationis ad res futuras. Quare ex eo, quod Deus dicatur aliquid ab æterno decreuisse, nihil in eo est, nisi respectus rationis nostro modo intelligendi, qui alias in Deo non fuisse. Hic autem est ad res futuras, & ex illis, tanquam ex fundamento, extrinsece derivatur. Iam igitur, sicut demonstrauimus ibi nullum Beatum ex eo quod videat huiusmodi decretum, intueri in Deo aliquod futurum: eodem modo probatur, Deum ipsum, ex eo, quod cognoscat in seipso suum decretum, non posse certo cognoscere futurum. Tum quia supra nudam suam essentiam nihil aliud addit, quam respectus rationis: hunc autem Deus videre non potest, est enim obiectum solum in intellectu creato viatoris, ut disput. 118. probandum est: ac proinde solus ille huiusmodi respectum cōfingere potest. Tum etiam, quoniam licet Deus seipsum videret sub illo respectu, & non posset esse ei ratio, & veluti medium videndi futura: imo potius futura prius videre debuisset. Illud enim, à quo prouenit respectus rationis, tanquam ab extrinseco fundamento prius, quam ipse respectus, cognosci debet: aut saltem respectus non potest esse ratio cognoscendi huiusmodi fundamentum, ut exemplis innumeris perspicuum est: ergo Deus ex suo decreto non potest certo scire futura eodem modo, quem hæcenus diximus. Quod si dicas, ex hac doctrina sequi, prius rem esse futuram, quam

2. Fundamentum.

10

Modus quo aliqui ex decreto inferunt certitudinem scientiæ Dei.

Refellitur.

11

Nam hoc decretum non est vniuersale.

*Occurritur
obiectioni.*
12

*Reputat
videri futu-
ra non vasa
determina-
tione secunda
causa.*

quam sic decretum in Deo, siquidem ab illa derivatur respectus rationis, quo decretum voluntatis Dei dicitur constitui. Respondetur, sine dubio non posse circulum in hac re evitari, est enim difficillima, sed de hoc latius disp. 80. dicendum est.

Deinde, etiam si hoc modo Deus futura videret, nullo modo dicendum esset, ea posse ab eo certo cognosci ex solo suo decreto, non intellecta determinatione secundæ causæ. Id enim manifeste contradictionem implicat. Nam qui fieri potest, ut futurum ab aliqua causa ipse cognoscat, & causæ determinationem futuram non videat? per locum ergo (ut aiunt) intrinsicum necessario sequitur, ex eo solum, quod Deus futurum videt, quacumque ratione illud sciat, videre etiam causæ illius futuram determinationem, & cooperationem, siue qua effectus intelligi nequit.

Hic igitur omittis, dicendum est, alio modo decretum esse causam sufficientem, ut futura cognoscantur, sed remotam. Quia decreto Dei quæcumque res futura est, & ad unum determinata, atque prius, quam res futura cognoscatur à deo dicitur ab ipso definita, & volita: ex hoc autem, quod sit futura, optime cognosci potest, ut cap. 4. dicemus: ergo decretum Dei assignari potest, ut causa sufficiens, licet remota. Deinde quamvis futura contingentia sint ex se indifferentia, tamen bene potest circa ipsa esse certitudo, & infallibilitas scientiæ dei, de qua nunc est controversia. Quoniam non debet esse maior certitudo scientiæ, quam efficacia voluntatis diuinæ, quæ impediri non potest. Si ergo antequam deus sciat futura, ordine quodam prius dicitur ea velle, & definire, & eius decretum irritari nequit; sequitur, & scientiam illius certissimam esse, quæ falli non possit, ut ita scientia dei decreto illius in omnibus assimiletur. Ex decreto igitur dei assignatur in deo sufficiens causa cognoscendi futura, & redditur quoque ratio sufficiens certitudinis scientiæ, quam deus habet.

CAPVT III.

Solutio obiectionum contra hanc sententiam.

*Prima ob-
iectio recentio-
rum,*

14.

Diluitur.

Hanc nostram sententiam nonnulli recentiores, & antiqui Scholastici impugnant; eorum tamen oppositiones diluere difficile non est. Primo igitur arguunt recentiores: quoniam ex illo decreto tollitur libertas nostræ voluntatis, cum ei non possimus villo modo resistere. Tum etiam, si decretum illud circa singula opera nostra sigillatim necessarium esset, sequeretur non esse omnibus prouisa à deo remedia simpliciter necessaria, nam hoc decretum concurrere cum omnibus necessarium est, & tamen non est in deo respectu omnium; si quidem cum ijs, cum quibus in tempore non est cooperaturus, nunquam ab æterno decreuit concurrere. Respondeo primum quamuis concedamus nunc ex illo decreto, si poneretur omnino antecedens nostram liberam determinationem, fore ut tolleretur libertas nostra: si tamen illud decretum, aut subsequatur nostram determinationem, aut comiteretur illam, nihil adiacet nostræ libertatis: quid autem verius sit ex his omnibus disp. 99. demonstrabimus. Ceterum siue hoc, siue illo modo ponatur, optimum nunc ex decreto sumitur argumentum ad ostendendam certitudinem, & infallibilitatem scientiæ Dei ut cap. præced. probatum est. Deinde quomodo Deus

non deneger sufficiencia auxilia etiam ijs, cum quibus non decreuit concurrere in tempore, & illam etiam seruet eorum libertatem, & potestatem ad bonum, non obscure ibidem patebit.

Secundo arguunt Greg. in 7. d. 8. q. 2. art. 2. Gabr. Secunda ob-
iectio. Gregorius, Gabr. Okam, 15
Dei ipsi esset causa, seu ratio cognoscendi futura, concedenda essent in Deo instantia prioris, & posterioris: nam prius esset decretum quod est ratio cognoscendi futura, posterior autem scientia ipsorum: deberemus etiam fateri, Deo aliquid esse medium cognoscendi aliquid, quæ duo in ipsum conuenire non possunt. Sed hæc frivola sunt, primum namque, instantia illa prioris, & posterioris in mente, & voluntate Dei ex ordine rerum inter se necessario esse concedenda, dilucide satis ex doctrina Patrum & ratione colligimus infra disp. 81. Deinde ex eo, quod dicamus decretum esse sufficientem causam cognoscendi certo futura, non dicimus esse medium, per quod, aut in quo ea cognoscat Deus, ut cap. præced. expresse notauimus. Sed ideo dicimus, esse causam, quia eo posito sequuntur futura, quæ eo ipso cognosci possunt. Certitudinem vero scientiæ ex efficacia voluntatis, quæ impediri non potest, inferimus, quia cum indifferentia futurorum non minus nequit careere effectui voluntatis, quam scientia decipere: ergo si voluntas Dei nihilominus cum libertate arbitrij nostri impediri non potest, eodem quoque modo scientia certa esse poterit.

Tertium argumentum, ex hoc decreto solum potest Deus cognoscere bona, quæ ipse in tempore facturus est: non autem peccata, quia hæc nunquam facere decreuit; sicut nec in tempore ea facit: ergo illa ratio, ex qua certitudo scientiæ Dei colligitur, saltem vniuersalis esse non potest. Respondetur omne peccatum siue commissionis, siue omissionis habere coniunctum aliquem actum positum, quem cum omnibus circumstantijs necessario consequitur malitia, siue omissionis, siue commissionis: diuerso tamen modo est in vno, atque in alio. In peccato enim omissionis positum, quod reperitur, est solum causa peccati, ut iter facere, est causa non audiendi missam tempore debito. Sed in peccato commissionis positum est actus, qui dicitur esse contra legem, & in quo veluti in proprio subiecto est malitia, & formale peccati: ipse enim actus dicitur materiale quod est in peccato. Cum igitur Deus sit in tempore causa totius positiui actus, qui est aut causa, aut materiale subiectum peccati, sequitur illud velle: ac proinde ab æterno voluisse, eo autem cognito non potest non cognosci malitia, quæ ipsum necessario consequitur, etiam si Deus illam non velit, immo odio habeat, nec villo modo ab æterno decreuerit. Quomodo autem cum Deus ab æterno definit materiale peccati, aut causam illius, nihilominus nec libertatem auferat arbitrio, nec sit propriæ causæ malitiæ, quæ est formale peccati, seq. disp. 99. & 1. 2. q. 79. art. 1. sius dicitur.

Quartum argumentum, Deus non solum cognoscit futura absolute, sed etiam futura sub conditione, circa quæ non est aliquid ipsius decreti: ergo decretum non est sufficiens causa cognoscendi omnia futura. Respondeo primum, vbi cumque fuerit decretum, ex eo optime inferitur, Deum certo cognoscere omnia futura, quæ decreuit: quod si in futuris sub conditione nullum est decretum

eretur scientiæ eorum, certitudo aliunde probanda est, vt sequenti disputatione dicetur. Deinde in his etiam futuris sub conditione decretum Dei nihilominus sub conditione includitur, vt ibidem dicetur: sine illo namque nihil futurum esse potest.

Vltimo argumentatur *Okam, Gabr & Gregorius* contra Scotum, quia supposito etiam decreto Dei, voluntas creata libera manet, & indifferens ad vtramque partem: quomodo ergo scientia potest esse determinata? Verum hoc argumentum non magis probat contra Dei scientiam, quam contra decretum voluntatis eius. Sicut enim decretum Dei non potest irritari, etiam si voluntas nostra ex se indifferens sit, quid mirum si scientia Dei infallibilis nihilominus permaneat, quantumvis voluntas nostra sit indeterminata? Quare id, quod de decreto dicetur, de scientia dici poterit: vtriusque autem rationem infra reddemus, quando de concordia scientiæ Dei, & voluntatis cum nostra, tractabimus disp. 68. & disp. 99.

CAPVT. IV.

Ex veritate futurorum, & infinitate intellectus Dei optime inferitur certitudo scientiæ ipsius.

TAmetsi ex decreto diuinæ voluntatis sufficenter colligi possit certitudo scientiæ, quam Deus de illis habet: quia tamen ea causa remota est, vt diximus, enitendum est, propriam & proximam rationem certitudinis scientiæ diuinæ assignare: ea vero facillima est, quam rationatione solum naturali desumpta ex infinitate intellectus diuini, & veritate futurorum facile quisque assequi potest, aut intelligere; est autem huiusmodi, Quia diuinus intellectus infinitæ virtutis est, quicquid intelligibile est, necessario debet amplecti, & intelligere, nam si aliquid ab ipso infinito intellectu non posset intelligi, à quo alio posset? atqui futura quantumvis libera, & contingentia, intelligibilia sunt, eo quod sunt determinatæ veritatis: verum autem, & intelligibile conuertuntur: ergo ab intellectu diuino possunt intelligi; & cum non debeant intelligi nisi eo modo, quo sunt, scilicet futura: aut non futura; efficitur eorum scientiam in Deo certissimam esse debere; nam si decipi posset Deus ex eo esset, quod futurum aliquod cognosceret non futurum; sic autem iam lateret diuinum intellectum aliquod intelligibile verum, quod est impossibile.

Hæc ratio adeo euidenter ostendit id, quod contendimus, vt nullus id inficiari possit, si minor illa propositio sufficenter probetur, nimirum in propositionibus singularibus de futuro alteram partem contradictionis determinate esse veram, alteram falsam; hoc autem seq. disput. ex professo probandum erit. Hæc ratione octodecim ante annis in Hispania publice docens, rem hanc in publicis lectionibus, & disputationibus frequenter explicui, quam postea Romæ anno 1588. euoluens diligenter Scoti scripta adinueni, atque eodem modo docui, & defendi; & postea ab aliquibus Theologis nostræ ætatis passim usurpatam audiui; inter alios vero Scholasticos nullam illius mentionem inuenio; illam autem paucis tradidit *Scotus* in 1. d. 39. q. 1. §. *Vt de contingentia*.

Ex hac doctrina quædam colligere licet, quibus ipsa magis elucidabitur, & aliqua etiam in maiori Pasquez in 1. part. Tomus I.

rem eius explicationem obseruanda sunt: primum igitur verissimum est id, quod asserunt *Gregor. & Gabr.* locis citatis in primo cap. nempe tantæ virtutis esse intellectum diuinum, vt quamvis ipse Deus omnipotentia sua non esset causa futurorum; si tamen esset virtutis infinitæ ad intelligendum, vt modo est; certo, & infallibiliter singula futura intelligeret: siue futura essent à casu, siue ab alijs causis, siue ab alio Deo. Quæ hypothesiæ quæquam impossibiles sunt, optime tamen declarant propriam, & propinquam rationem, ob quam à Deo futura certo cognoscuntur. Nam his omnibus suppositis esset nihilominus veritas in enunciationibus de futuro, & infinitas virtutis ad intelligendum in Deo, vt supponimus: ergo per locum intrinsicum sequitur, eodem modo à Deo certo sciri futura, sicut etiam nunc cognoscuntur: cum eadem prorsus vtroque sit causa. Ratio itaque infallibilitatis scientiæ Dei, non est sola veritas, sed infinitas intellectus diuini, qui eo ipso, quod infinitus est, non potest non ad id, quod verum est, tanquam notitia, referri.

Deinde inferitur, futura non cognosci à Deo in causa copulse conceptu causæ, & quasi per discursum. Ex se enim causa nihil habet reale, quò potius in hanc partem necessario inclinet, quam in aliam; nec aliquis intellectus ex causa certum iudicium inferre poterat, nisi virtute propria futura ipsa per se posset attingere: at vero Deus cognoscit futura ipsa in se, quia in se veritatem habent, & vere sunt aliquid futurum: ac proinde secundum se sub virtutem, & efficacitatem diuini intellectus proprio conceptu cadunt: nihilominus ea etiam cognoscit in causa ad hunc sensum, vt quemadmodum videt futurum hoc, aut illud, sic etiam videt ab hac causa, non ab alia futurum; imò ex eo quod futura cognoscuntur, necessario sequitur, à tali, & tali causa futura cognosci non quia ipsa causa secundum se visa ducat in cognitionem effectus infallibilem sed quia futurum nequit intelligi, nisi cum hac, vel illa causa conexum.

At dicunt aliqui, futura nihil sunt in se, nihil etiam sunt in causa, ergo non possunt cognosci, quia quod non est, non scitur. Respondeo futura nihil esse præsens, aut præteritum: esse tamen aliquid futurum: intellectus autem ita se extendit ad futurum, sicut ad præteritum, aut etiam possibile, quod minus entitatis habet. Quare frustra conatur aliqui assignare aliquid præsens, saltem in causa, ratione cuius futurum cognoscatur à Deo, quia ens, quod in vniuersum est obiectum intellectus, non tantum est præsens, sed etiam futurum, præteritum, & possibile.

Cæterum alia duo obseruanda sunt in maiorem huius rei explicationem, vnum est, cum dicimus à Deo certo sciri futura, quia determinatæ sunt veritatis, non ita debere intelligi, vt formalis ratio veritatis ipsis rebus futuris primarie conueniat: veritas enim est affectio intellectui primarie conueniens, vt infra disp. 77. cap. 3. dicemus, sed dicuntur futura determinatæ veritatis, quod ita re ipsa aliquid sit futurum, aut non futurum determinate, vt de altera parte contradictionis verum possit esse iudicium, & vera enunciatio, & de altera parte si iudicium feratur, aut enunciatio efferatur, in tali iudicio, & enunciatio etiam falsitas sit: hæc autem satis est, vt in rebus ipsis sit veritas (vt logici vocant) fundamentaliter, quæ sufficit, vt res possint

Gregor. Gabriel. infinitas diuini intellectus, proxime & formaliter facit certitudo cognosci futura.

Deus cognoscit futura non in causa, sed cum causa.

21

Obiectio.

Facile soluitur.

Prima notatio quo modo veritas & falsitas, rebus competat.

22

G g

possint

possint esse & intelligibiles, & obiectum veri iudicii; ergo cum Deus, quæ sua est infinitas, efficacitate sui intellectus omnia intelligibilia intellectu suo penetrat, & sicut sunt intelligat, sit, ut futura etiam, eo quod vere futura, aut non futura, quia vere futura non sunt, determinate, & certe eo modo cognoscat.

Secunda notatio o. dicitur rationis decretum Dei præcedit rerum futuritatem.

Alterum observandum est, futurum ita esse obiectum scientiæ Dei infallibilis, eo ipso quod re ipsa futurum est, ut tamē nostro modo intelligendi, supponat decretum Dei, tanquam causam, ante quod nihil intelligitur vere esse futurum: nam quamvis omne futurum ab æterno futurum sit, tamen ordine quodam rationis prius res est possibilis, quam futura, & ita nostro modo intelligendi duo instantia rationis distinguimus, in quorum priori res tantum ex se possibilis sunt, quia ex se non implicat contradictionem, & aliud in quo intelliguntur futura: & quamvis hæc rerum possibilitas supponat ut priorem possibilitatem, & esse ipsius Dei non tamen supponit Deum, ut potentem producere, aut tanquam causam productivam, ut late explicabitur infra disput. 104. at vero, quia nulla res ex se futura est, sed ex voluntate, & omnipotentia Dei, ideo antequam intelligantur futura, supponitur Dei voluntas, ut causa illius, non quidem durationis ordine, sed rationis: itaque in illo priori, quo res est possibilis, nondum intelligitur futura, nam prius est possibile, quam futurum, ut id, à quo non valet reciprocationis consequentia; sicut animal homine prius est.

Obiectio. dicitur. Soluitur.

Res prius rationis sunt possibilis quam futura.

Quod si dicas; in illo priori instanti, quo res consideratur possibilis, dici etiam potest futura pro sequenti. Respondeo, futurum non dici respectu prioris, & posterioris in eo ordine rationis, sed in ordine durationis in tempore; quod vero in tempore futurum est, & ab æterno dicitur futurum in tempore, non est futurum in eo instanti rationis, quo est possibile tantum; nam prius res possibilis est, quam futura; & si prius est possibilis, nondum est futura. Sicut ergo creatura nondum possibilis est, donec Deus intelligatur esse, qui est primum omnium ens; sic etiam creatura nondum est futura, donec decretum voluntatis esse intelligatur, ex quo, ut ex causa futura est; aut si in eo instanti rationis posset aliqua futuritio concedi, non deberet esse rerum; hæc namque prius possunt esse, quam futura sint; sed deberet poni futuritio futuritionis; hoc est, cum possibile est rem fore, simul esset fore futuri, aut futura futuritio, sed fore futuri stulte assignatur; ergo in illo priori instanti quo res consideratur possibilis, nondum consideratur futura. Quare quod aliqui dicunt, in illo priori instanti verum est dicere, futura erunt in sequenti, perinde est, atque dicere, tunc esse futurum, futurum, quæ sane reflexio, licet à nobis quoquo modo in verbis considerari possit, Deo tamen eam tribuere, stultum est, neque enim dari potest futurum futuri, ut supra dicebamus.

Sententia recentiorum refellitur.

Ex quo inferitur, recentiorum sententiam falsam esse, qui dicunt futura, quod sint determinate veritatis, in essentia Dei representari, nullo præintellecto decreto voluntatis ipsius. Nam si hoc ita esset, sequeretur non fuisse in potestate Dei, non representari in sua essentia futura, si absque decreto, & libertate ipsius, vere intelliguntur esse futura, & in essentia divina representari; at hoc est absurdum; potuit enim Deus, si voluisset, nihil pro-

ducere, tunc autem nihil esset futurum. Certe si res non essent à Deo futuræ, sed à casu, vel aliunde, possent in essentia Dei ante decretum illius representari, & in finita sua sapientia à Deo certo cognosci, ut predictum est; nihilominus prius intelligerentur possibles, quæ futura, & in instanti rationis, quo intelligerentur possibles, nondum essent future: nunc autem non solum in posteriori instanti rationis intelliguntur futura, sed etiam supposito decreto Dei, & non aliter: quia nisi ex causa sua, quæ est divina voluntas, non intelliguntur futura.

Sed quæret aliquis, An Deus eo instanti priori, quo concipitur à nobis, ut intelligens res possibles, intelligat factum suum decretum futurum, etiam si nondum sint res extra futura. Respondeo non cognosci à Deo futurum suum decretum in illo priori, eo quod in Deo supra suam essentiam nullam decretum suæ voluntatis vere nihil aliud est, quam respectus rationis ad creaturas futuras, ut disp. 80. probabitur, quare neque secundum rationem aliquid intrinsecum Deo, & reale futurum est, etiam respectu illius instantis rationis. Eius enim essentia eodem modo in se semper erit, etiam in sequenti instanti: solum autem habebit respectum quendam rationis: cumque in eo instanti, quo solum intelliguntur res possibles, nondum sint futura, nondum erit respectus aliquis decreti ad res futuras: quia neque futurus respectus ad futuras creaturas intelligi potest sine ipsis futuris: aliquid autem aliud intelligi nequit, quod vere futurum in Deo sit aut essentia additur: ergo frustra recentiores aliqui dicunt, in illo priori non solum à deo cognosci creaturas possibles, sed futurum etiam suum decretum: præsertim, cum Deus in se nunquam cognoscat respectum illum rationis, sed nudam suam essentiam, ut sæpius dictum est.

Adde etiam, quod cum instantia rationis distinguimus, ut prius consideremus vnum in deo, quam aliud nostro modo intelligendi, hic ordo non assignatur ab ipso Deo, & ita in suo intellectu non habet decretum suum rationem futuri in sequenti instanti: quia ipse, ut cognosceret hoc modo futurum, deberet instantia distinguere: nos autem hoc tantum modo distinguimus in deo instantia, ut cum Deus simul duo de se cognoscat, & nudam essentiam, & eam sub ratione decreti, nostro modo intelligendi prius cognoscat essentiam, quam decretum: non tamen decretum aliquo modo futurum, cum nunquam futurum sit, sed ab æterno præsens: instantia enim rationis circa varia obiecta ita diuiduntur, ut vnum cum alio non miscatur, etiam sub ratione futuri.

DISPUTATIO LXVI.

An propositio singularis de futuro contingenti sit vera.

Quid senserint Arist. & Scholastici nonnulli, cap. 1. Secundum fidem nostram in contradictionibus singularibus de futuro contingenti altera pars dissimile vera est, altera falsa, cap. 2.

Ratione philosophica eadem veritas probatur, cap. 3. Solutio rationis prioris sententia, cap. 4.

CAPUT I.

Quid senserint Aristoteles & Scholastici nonnulli.

VT ratio illa, qua probamus futura à Deo certo cognosci, firma maneat, necesse est, minorem